Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 597
Quelle:
Copyright:

CXCV. VI. E. 14.

302 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 150. f. luculente ſcriptus et rubricis enotatus, olimque ad *Job. Fabrum* Ep. *Viennenſem*, ut *Nota* impreſſa praevia teſtatur, pertinens *Aſcetica* hoc ordine complectitur. I. *Incipit prologus in nomine ſancte trinitatis in regulam ſancti Baſilii ceſarienſis e.* Initium: *Satis libenter kariſſime frater urſaci aduentantes de partibus orientis et deſiderantes iam fratrum conſueta conſortia* &c. Prologus hic *Ruffini* Presb. *Aquilejenſis* eſt, qui ex *Baſilii Regulis* κατα πλατος et κατ' ἐπιτομιν, prout extant *Opp.* edit. *Maur.* T. II. *Pariſ.* 1722. p. 335. f. Opus hoc contraxit et latine vertit. Verſionem porro *Ruffini Benedictus* Abbas *Ananienſis* Sec. IX. *Codici Regularum* a ſe compilato inſeruit. Extabat *Codicis* hujus vetuſtum Exemplar *mſ.* apud S. *Maximinum* prope *Treviros*, cujus Απογραφον nactus doctiſſimus *Luc. Holſtenius* illum *Romae* 1661. publicavit, in qua Edit. *Verſio* noſtra *Ruffini* P. I. a p. 173. legitur. Secundis poſtea curis *Codicem* eundem ſed multum illuſtratum et in *Tomos* VI. tributum repraeſentavit *Marian. Brockie S. Jacobi Scotorum Ratisbonae* Prior *Aug. Vindel.* 1759. f. *Regulis* noſtris *Baſilianis* in T. I. a p. 67. receptis. Atque utinam vel Viro huic, vel jam *Holſtenio Codicis* noſtri uſus fuiſſet, emendatiorem certe lectionem haberemus, quod vel collato *Ruffini Prologo* ſpeciminis ergo patebit.

Cod.	*Edit.*
hinc atque illinc *paſſim.*	hinc atque illinc *paſſivi*
latentem locum	*latentes locos*
pinido etiam clarum nomen *ſolo* dedit	*Pineti* clarum nomen *ſæculo* dedit
ut *aliquibus* mos eſt	ut *aliquis* mos eſt
que *animę* uirtusque *(uictus)* inſtituta	quæ *animi* virtus, *quæ* inſtituta
ſancti cuiusdam *uiri* reſponſa	ſancti cujusdam *juris* reſponſa

Poſt Prologum haec Operis miniata eſt Inſcriptio: *Incipiunt ſancti Baſilii ceſarienſis archiepiſcopi dicta de inſtitutione monachorum.* Incipit: *Humanum genus diligens deus et docens hominem ſcientiam* &c. Hanc *Praefationem* excipit *Interrogationum* Elenchus, qui non ultra XLII. progreditur, cum tamen *Interrogationes* reipſa ſint CCIII. quarum ultima finitur: *ſed ſufficientia noſtra ex deo eſt.*

II. *fol.* 74. p. 2. *Incipit Regula Cenobialis Fratrum Hiberniensium.* Nihil aliud eſt haec *Regula*, quam *Poenitentiale S. Columbani*